



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Exponitur celebre testimonium D. Thomæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](#)

sum, & cooperationem impidente, ac tollente potentiam ad oppositum, ut Manichæi quos impugnat, olim docebant. Non vult tamen excludere antecedentiam & efficaciam adjuvantem, quæ non tollat potentiam ad oppositum, sed nostrum faciat liberè operari arbitrium, quem D. Augustini, & S. Thomæ Discipuli docent.

137. Addunt aliqui cum Jansenio in concordia, & Lippomano in præfatione ad catenam, Græcos Patres, præsertim Chrysostomum, caute admotum legi debere circa materiam de gratia (non quod fuerint Pelagiani, ut Vazquez existimat) sed quia cùm nondum esset exortus Pelagius, neque hæc controversia discussa, & aliunde Manichæi negantes liberum arbitrium, ipsis negotium facescerent; in laudem liberi arbitrij multa dixerunt, qua piè explicanda sunt. Unde Augustinus de prædicto. Sanctorum cap. 14. *Quid igitur opus est ut eorum scrutetur opuscula, qui prinsquam ista heres oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficulti ad solvendum quæstione versari? quod procul dubio facerent, si responderet talibus cogerentur. Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis. & transunter attingerent: immorarentur verò in eis quæ adversus alios inimicos Ecclesia disputabant.*

138. Ad primum verò Augustini testimonium, responderetur S. Doctorem ibidem loqui de voluntate humana, quatenus mala est, ac devians à regulis morum; sub qua ratione non est à Deo, sicut omnis potestas, quæ cùm ex se bona sit, ab illo est. Et ita clare seipsum explicat ibidem, subdens: *Mala quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt quæ ab ipso est. Et suprà cap. 5. Deus non est author omnium voluntatum, nam non est dator mala voluntatis. Eodem modo intelligendum est aliud testimonium desumptum ex libro de spiritu & littera, loquitur enim etiam ibi de mala voluntate, ut patet ex verbis istis quæ subiungit: Alioquin etiam peccatorum, quod absit, author est Deus, si non est voluntas nisi ab illo: quoniam mala voluntas jam sola peccatum est.*

Ad alium locum ex libro tertio de libero arbitrio, responderetur quod quæcumque causa est voluntatis, si non possit ei resisti, nec potentia antecedente, nec consequente, sine peccato ei ceditur. Secùs autem, si ei possit resisti, potentia antecedente, seu in sensu diviso. Quo pacto possumus resistere, seu dissentire divino decreto, & motioni ejus, ut docent Thomistæ cum Sancto Præceptore quæst. 23. de verit. art. 5. ad 3. ubi hæc scribit. *Quamvis non esse effectus divinae voluntatis non possit simul stare cum divina voluntate, tamen potentia deficiens effectum, simul stat cum divina voluntate. Non enim ista sunt incompatibilia: Deus vult istum salvare, & iste potest damnari: sed ista sunt incompatibilia. Deus vult istum salvare, & iste damnatur. Quòd nihil clarius & expressius in favorem nostra sententia dicci potest.*

Addo quod, D. Augustinus ibi apertissime loquitur de causa violenta, & cogente: sic enim incipit illud capitulum 18. *An fortè violentia causa est voluntatis, & cogit invicim? Divinum autem decretum, quamvis efficacissimum, nullam coactionem aut violentiam infert, sed fortiter & suaviter movet, & ita agit nos, ut agamus, & liberè, ac voluntariè consentiamus;* &

A ut inquit ipsemet Augustinus, *In ipsis hominum cordibus operatur, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.*

§. II.

Exponitur celebre testimonium D. Thomæ.

Obijiciunt tertio quidam Recentiores testimoniū D. Thomæ, quod vocant irrefragabile & insolubile, eoque putant S. Doctorem, aper- & direc- & decretum prædeterminans, & physi- cam prædeterminationem excludere, & velut jugula. Sumit hoc testimonium ex 2. libro sententiarum difl. 39. quæst. 1. art. 1. in corpore, ubi de nostra voluntate sic disserit. *Ipsa autem potentia voluntatis, quanum in se est, indifferens est ad plura: sed quod determinat exeat in hunc actum vel in illum, non est ab alio determinans, sed ab ipsa voluntate. Quid aperiuit (inquit Petrus à S. Joseph) dici potuerit ad excludendam prædeterminationem physicam, non video. Nam S. Doct̄r̄, conceptis verbis docet, voluntatem nostram se determinare ad volendum hoc vel illum, & pariter negat eam ad hoc ab alio determinari. At quo ille iudicio hoc posterius negaret, si nihilominus existimat voluntatem non posse in aliquem actum erumpere, nisi prius à Deo determinatam. Hoc sane perinde esset, ac si duo contradictoria simul vera esse profiteretur.*

Huic testimonio quod Recentiores illi adeo magnificant, & extollunt, multipliciter responderi potest. In primis dico, in textu D. Thomæ non legi, *Non est ab alio DETERMINANTE* (sicut scribit, & refert Petrus à S. Joseph) sed *non est ab alio DETERMINATE*. Quæ duo valde diversa sunt, ut consideranti patebit. Primum enim quamcumque determinationem extrinsecam à voluntate decreta excludit. Secundum verò solum significat, illam non determinari ad unum per modum naturæ, sicut agentia naturalia; sed ad unum per modum libertatis (id est sub indifferentia objectiva iudicij, & retinendo potentiam ad oppositum) ut ejus conditio, & natura exposici.

Respondeo secundo, D. Thomam ibi aper- & tè loqui de determinatione voluntatis ad malum, quæ non est ab alio, sed à sola voluntate, quæ cùm sit primum deficiens, & primum se determinans ad malum, non potest à quocumque alio, ad illud determinari. Et quod iste sit verus & legitimus sensus D. Thomæ, patet ex titulo illius articuli, in quo querit: *Virum in voluntate possit esse peccatum?* & concludit affirmativè, probatque ex discrimine quod reperitur inter voluntatem creatam & agentia naturalia. *Quid enim (inquit) voluntas determinat exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinata, sed ab ipsa voluntate: Sed in naturalibus actus progradientur ab agente, sed tamen determinatio ad hunc actum non est ab agente, sed ab eo qui agenti talem naturam dedit, per quam ad hunc actum determinatum est.* Unde concludit: *Quid si aliquis defectus sit in actu voluntatis, ipsi in culpam & peccatum imputatur; & ita relinquitur quod in voluntate patet esse peccatum, quanum ad actum ejus. Loquitur ergo S. Doct̄r̄ de determinatione voluntatis ad malum, & ad peccatum, quæ non est ab alio determinata, vel determinante, sed à sola voluntate creata, quæ est primum liberum deficiens, & primum ad malum se*

determinans. Ex quo eriam infert articulo sequenti, peccatum non esse in aliis potentius à voluntate, nisi ut ab illa imperantur.

^{142.} R^espondeo tertio, quod si D. Thomas interdum loquatur de omni determinatione voluntatis, etiam ad bonum, intelligendum est quod voluntas à nullo extrinseco agente determinetur, quod non sit causa ipsius voluntatis, & motus ejus: hanc enim causam semper excipit, ut patet ex 3. libro contra Gent. cap. 88. & 1. p. quest. 83. art. 1. ad 3. & quest. 105. art. 4. ad 1. & 2. Imò ipse Scotus, quamvis in pluribus D. Thomæ adverteretur, tamen in hoc principio cum illo convenit: nam in 4. dist. 49. quest. 6. §. Dico ergo, hæc scribit: *Contra naturam voluntatis est determinari à causa inferiori, quia hoc ipso non est superior. Non est autem contra naturam ejus determinari à causa superiori.* Quæ verba non possunt intelligi de determinatione solidum moralis, cùm non sit contra naturam voluntatis à causis inferioribus moraliter moveri & determinari. Idem docet in 1. dist. 39. quest. 3. §. *Viso de contingentia.* Unde Henricus de Villegas controv. 12. priori disp. cap. 2. pro nostra sententia refert non solidum Scotum, sed etiam plures ejus Discipulos: videlicet Lychetum, Mayronem, Bassolis, Rubionem, Castro-novum, & alios. Et Gabriel in 1. dist. 33. quest. unicâ cap. 2. adducens opinionem Scoti, dicit ex ejus sententiâ, quod voluntas divina, quæ est prima regula contingentium, prius naturâ determinat contingentia, quām intellectus divinus intelligat illa esse futura. Quo nihil clarius dici potest ad excludendam scientiam medium.

^{143.} Ad id vero quod addit Petrus à S. Joseph, nimirum quod afflere voluntatem creatam seipsum determinare, & docere illam non posse in aliquem actum erumpere, nisi prius à Deo determinetur, idem est ac duo contradictoria simul vera esse profiteri. Respondeo hoc aperte fallum esse, & doctrinæ D. Thomæ omnino contrarium. Nam S. Doctor 1. p. quest. 105. art. 4. secundo loco sibi objicit: *Deus non potest facere quod contradictoria sint simul vera: hoc autem sequeretur, si voluntatem moveret; nam voluntatem moveri ex se, est non moveri ab alio: Ergo Deus non potest voluntatem movere.* Cui argumento sic responderet. *Ad secundum dicendum quod moveri voluntariè, est moveri ex se, id est à principio intrinseco: sed illud principium intrinsecum potest esse ab alio principio extrinseco, & sic moveri ex se, non repugnat ei quod moveatur ab alio.* Idem docet quest. 3. de malo art. 1. ad 4. his verbis: *Cum liberum arbitrium movet seipsum, non excluditur quin ab alio moveatur, à quo habet hoc ipsum quod seipsum moveat.* Unde Ferrariensis 3. contra Gent. cap. 89. *Potest aliquid determinari ab alio ad effectum: & tamen habere illud in sua potestate; èo quid causa prima moveat unquamque causam secundam ad suum effectum.* secundum conditionem ipsius cause secunda: *causam enim non potenter deficere, sic ad suum effectum determinat, ut ipsum necessariò absoluè producat.* *Causam autem quæ deficere potest, ita determinat, ut tamen absolute deficere possit in producendo.* Non ergo repugnat quod liberum arbitrium à Deo tanquam à causa prima, & primo libero, primoque determinante determinetur, & se determinet ut causa proxima sua operationis, & ut secundum liberum, ac secundum determinans. Sicut nulla est implicantia, quod generatio plantat simili à Sole & cœlo, ut primo generante & al-

A terante, & à terra tanquam à secundo generante, illi subordinato, ut alibi expofuimus.

Ex his facile intelliges & expones plura alia D. 144.

Thomæ testimonia, in quibus dicit, quod Determinatio actionis & finis, in potestate liberi arbitrij constituitur. Quod homo non esset liberi arbitrij, nisi ad eum determinatio sui operis pertinaret, & similia, que inutiliter congerit, & accumulat Petrus à S. Joseph in suo opusculo. Nam in his locis S. Doctor solum intendit declarare, quod elecio & determinatio actionis est in potestate liberi arbitrij, tanquam secundi liberi, & secundi determinantis, ac proinde non excludit subordinationem, & dependentiam à motione & determinatione primi liberi, primique determinantis, sed potius illam includit; imò & clare explicat in ipso eodem loco quem citat præfatus Author, scilicet in 2. sent. dist. 25. quest. 1. art. 2. ad 3. nam postquam dixit, quod Determinatio actionis & finis in potestate liberi arbitrij constituitur, subdit: *Vnde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita sicut rimo agenti.*

Quæ ultima verba (quæ ex industria omisit egregius ille D. Thomas defensor) aperte mentem ejus declarant, & significant, voluntatem creatam habere quidem dominium in suos actus liberos, ratione cuius elecio & determinatio actionis & finis, est in ejus potestate: illud tamen non esse supremum, sed subjectum, & subordinatum primo & absoluto Dei dominio, ac proinde indigere ejus motione, & applicatione. Unde ibidem ait: *Deus in liberum arbitrium hoc modo agit, ut illi virtutem agendi ministret, & ipso operante, liberum arbitrium agat.* Quibus verbis, necessitatem concursum prævij, ad hoc ut liberum arbitrium se ad agendum determinet, non obscurè significavit. Nam per concursum simultaneum, Deus non agit in liberum arbitrium, sed tantum cum libero arbitrio; quia talis concursus non est influxus in causam, sed in operationem, & effectum.

Ex dictis etiam facile convellitur præcipuum Adversariorum fundamentum, desumptum ex eo

D quod de ratione causæ liberae est, seipsum ad agendum determinare, ac proinde illi repugnat à Deo prædeterminari. Facile enim respondeatur, quod de ratione causæ liberae est seipsum determinare, eo modo quo libera est. Si enim sit primum liberum, & à quocumque alio independens, debet seipsum per se primum, & independenter à quocumque alio determinare. Si vero sit tantum secundum liberum, & alteri in suis electionibus, & actibus liberis essentialiter subordinatum, & ab eo totam suam libertatem participet; debet quidem seipsum determinare, sed dependenter à motione & determinatione alterius cui subordinatur. Unde D. Thomas 1. parte quest. 19. art. 3. ad 5. hoc statuit discrimen inter primum & secundum liberum, & inter voluntatem divinam & creatam, quod voluntas creata, cùm sit ex se contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum: sed voluntas divina, quæ ex se necessitatim habet, determinat seipsum ad voluntum ad quod habet habitudinem non necessariam.

Sicut ergo de ratione causæ efficientis non est quod sit prima, sed quod efficiat, licet moveatur ab alia priori, ut pater in igne, & cœlo. Ita non est de ratione liberi, ut se primum determinet, sed ut se determinet juxta suam naturam, ita quod si fuerit primum liberum, ut est Deus, determinet se primum: si vero fuerit secundum tantum liberum,

Folio
302

quale est nostra voluntas , determinet se secundario , & dependenter a motione & determinatione primi. Unde Benedictus Perierius , Societas Iesu , quem Possevinus virum ingenii eruditissimum & perspicuitate refertum appellat , lib. 8. de causis cap. 9. haec scribit : *Licet voluntas nostra nihil operetur nisi mota & determinata a Deo , quia tamen moveret ab ipso convenienter natura sua , & ut natura sua apta est moveri , hoc est non necessariò , sed libere , ideo verè diciur , verèque est libera : si enim voluntas ita moveretur a Deo , ut non se moveret ipsa ad agendum , nec ipsa se ad agendum determinaret , omnis profecto meriti & demeriti , & libertatis ratio funditus tolleretur : sed quia Deus eam sic moveat , ut ipsa nihilominus simul etiam seipsum moveat , & per suam determinationem se determinet ad agendum hoc vel aliud , ob eam causam merito appellatur . & est verè libera : non enim intelligentiam est voluntatem esse liberam omnino , ita ut à nullo pendeat , nullique subiectiatur ; hac enim libertate solum Deum liberum esse agnoscimus , quippe qui sit omnino liber , à nullo dependens , & nullius indigens , sufficiens sibi ad omnia . Hac autem libertas nulli creature convenire potest , ratio enim cuiuslibet creaturae , necessariam & inseparabilem continet dependentiam à Creatore tam in existendo quam in omni operatione.*

146.

Confirmatur : Idem est voluntatem liberè se determinare ad aliquem actum , & habere dominium illius : Sed voluntatem habere dominium sui actus , non tollit quod Deus habeat illud prius & excellentius , cum sit universalis dominus omnium. Sicut quod Vassallus , vel Feudatarius habeat dominium uile in fundum , non tollit vel impedit , quin Rex vel Dominus habeat in illum , supremum & perfectum dominium : Ergo quod voluntas liberè se determinet ad aliquem actum , non tollit quin à Deo , ut primo libero , & supremo ejus domino , prædeterminetur.

147.

Alia S. Doctoris testimonia , quæ Petrus à S. Joseph in prædicto opusculo nobis objicit , exactè discutentur , ac dilucide exponentur in Tractatu de actibus humanis , diff. 6. art. 2. §. 12. Argumenta vero ex Dei sanctitate , & hominis libertate defumpta , art. sequenti §. 9. & sequentibus , & in Tractatu de prædestinatione diff. 6. quæ erit de concordia libertatis cum diuina providentia & prædestinatione , proponentur ac diluentur. Interim placet hic inferre Reverendissimi Patris Magistri Hyacinthi Libelli , olim Romæ in Conventu Fratrum Predicatorum super Minervam , Theologiae Professoris , nunc Sacri Palatij Magistri , egregium discursum relatum à Caramuello in sua Theologia fundamentali , in expositione Thesum de scientia Dei , Thes. 3. quo præfatus Magister solidè & perspicue demonstrat , cum decretis , & prædefinitionibus divinis , coherere arbitrij nostri libertatem , & præcipuum Adversariorum fundamentum , nimis quod omnis suppositio antecedens , tollit arbitrij nostri libertatem , prorsus infringit. Verba ejus sunt.

148.

Argumenta que probant cum scientia Dei in decreto Thomisticum fundata non coherere libertatem , eadem sunt ac illa que probant cum decretis & prædefinitionibus non coherere libertatem , ac proinde nolo ea solvere ; hanc enim provinciam sibi assument ille qui hoc eodem anno materiam de voluntate Dei , divini que prædefinitionibus tradidit. Duo hictanum volo facere. Primum est , aliqua , que mihi singularia videntur , & que toti huic mate-

A ria magnum lumen accendunt , adducere. Secundum , vos docere , à quoniam S. Thomas accepit , aut à quo principio quodammodo subfurit fuerit sham concordiam decreti , scientia , voluntatis , prædestinationis , gratiae , & auxilij efficacis , propositi ex una parte , & libertatis ex alia , quanto plausu accepta fuisti , ut ante Molinam nemo exerciterit , qui illi non subscriperit.

Circa primum , jam scitis scientiam Dei , divisioneque prædefinitions & decreta antecedere tum in re , tum in intentione , quemlibet usum humanæ libertatis , & hinc ab Adversariis nos fortissime urgeri , quomodo scilicet possimus libertatem sanitatis & testam conservare ; cum omnis necessitas , que oriuntur ex aliquo antecedente , absoluta , cognoscens , & libertati inimica esse videatur. S. Thomas huic , que videtur invicta difficultas , clare & profunde responder , necessitatem ortam ex antecedente , cui subditur non solum substantia actus , sed etiam modus libertatis , non esse necessitatem cogentem , sed foventem libertatem. Hoc a me vobis sep̄ius narratum , repetitum , ac exaggeratum intellexi.

Igitur quid intendō facere in præsentis , est declarare hoc punctum , quia cardo est istius controversie. Dari aliquam suppositionem , cum qua non sit possibilis compositio actus oppositi , ita certum est , ut ne ipsi oīores divinorum decretorum difficiantur ; eam esse suppositionem actus liberi . ipsi quoque concedunt : supposito enim quod voluntas operetur , non potest non operari. Hanc autem suppositionem non ledere libertatem ideo dicunt , quia est consequenter orta , scilicet ex actu quem ego mea voluntate pono ; quod si oririatur ex aliquo quod à mea voluntate non dependaret , tantum abeat ut libertatem conservaret , quin eam possemus perderet , & funditus eradiscaret. Hoc supposito.

Interrogo Adversarios , cur impossibilitas ponendi aliud extreum pro aliquo tunc , orta ex suppositione consequente libertatem , non ledat libertatem ? Omnes uno ore respondent , ideo non ledere libertatem , quia est effectus libertatis ; unde potius illius signum est quam corruptela. Ignatur , si datur aliqua suppositio , qua non sit effectus , sed causa libertatis , eam potius adscibatur , quam destruet , ex ipsis enim terminis convincitur , quod sicut implicat , quod illud quod sequitur libertatem , eam perdat ; ita implicat , quod illud quod libertatem antecedit , & est causa illius , illam perdat ; causa enim non destruit effectum suum , sed producit ; est enim in terminis ipsis repugnantia , afferere quod suppositio antecedens causet libertatem , & quod eam exterminet.

Ex quo ulterius sequitur , necessitatem ortam ex tali suppositione dici jure merito consequentem ; unde ex suppositione antecedente ortur ex parte alterius extremi necessitas consequens : in quo sanè hallucinantur contrarij , licet nobis perspicuum , & ab omni dubitatione alienum esse videatur , quod partim supra explicavi , partim modo declarabo. Etenim necessitas orta ex suppositione antecedente , cui subditur libertas actus , est orta ex ipsa libertate actus , siquidem est orta ex causa , prout reduplicative causante libertatem ; nemo autem dubitare potest , quod id quod oritur ex causâ , ut actu causante , non oriatur etiam ex effectu : sicut quia Sol ut actu indurans limum , dicitur exsiccans limum , nemo dubitare potest , quod exsecratio limi , ut reduplicative talis , à limi induratione aliquo modo dependeat.

Quam nego dependentiam supra vocavi depen-

dentiam à libertate objectivè accepta, non à libertate executive posita; & hoc consequentia sufficit, ad hoc ut libertas integra servetur: quod si sedulò meditarentur Adversarij, facilius intelligerent, & se nostrâ pradeterminatione difficultatibus obrui non quererentur; s. inquam, cōsiderarent prescientiam & pradeterminationem esse causam libertatis, originantem libertatem, factricem, effetricem, & operaticem libertatis, non minus ac ipse actus sit effectus libertatis, originatus à libertate, ab illa factus, & veluti operatione productus.

Sed in hoc dicent Adversarij, difficultatem nostrâ sententia consistere: quod possit dari aliquid antecedens, infallibiliter libertatem causans, ipsos non insicari; quod verò si semel illud tāquam verum admittatur, sequetur evidenter quod pradeterminationem aut prescientiam foveat potius quam destruat libertatem, in ea suppositione se dicunt herere, nec eos illam capere, aut à nobis capi posse existimant.

Famergo cum ipsis aequalē periculum sustinemus, quod sic declaro. Fuit aliquorū opinio quam communiter Metaphysici rejiciunt, non dari libertatem in actu secundo, sed omnem actum secundum habere necessitatem essendi libertati adversariam. Si ergo protervè contendant illius omnium calculo damnata opinionis Authors, omnem necessitatem strangulare libertatem; nonne statim ad implican-
tiam, quae est in hoc quod necessitas ex ipsa libertate oriatur, tanquam ad sacrum azylum confugient? Quomodo ergo fieri potest, ut non intelligent, quam rationabiliter nos cū argumentis illorum urgemur, quibus probant necessitatem nostram esse inimicam libertati, ad implican-iam ipsis quoque manifestam, quae est in hoc quod prescientia causet libertatem, velut ad inviolabile azylum re-
curramus?

Imò quod possit Deus infallibilitatem provenientem in voluntate sua prescientia. illa à libertate constitue, ex Adversariorum principiis alia ratione confirmo. Docet Suarez, quem plerique Pares Societatis secuti sunt in Metaphysica disp. 19. scilicet 3. posse dari præternaturalē motionem, quā stante indifferentiā iudicij, ita à Deo voluntas abripiatur, ut jam in alteram contradictionis partem, non liberè, sed omnino necessariò feratur quod repetit etiam in opusculis libro 1. de auxil. cap. 2. num. 12. quod ipse hac ratione ostendit. Cum in voluntate libera duplex sit potestus (ad voluntandum scilicet, & non voluntandum) neutra carum est infinita virtutis & efficacia: Ergo in utraque potest superari à Deo superiori agente, qui est infinita virtutis & efficacia: Ergo stante adhuc & perseverante indifferentiā iudicij, potest à Deo ita moveri & agi voluntas nostra, quatenus habet potestam volendi, ut si prorsus impotens ad resistendum, nec possit ullo modo uti alterā potestate, quam habet ad nolendum: Ergo runc in tali actu non erit usus libertatis, etiam si facultas in re sit libera, & objectum ita sit propositum, ut necessitatem non inferat. Hanc rationem bene tenete, & videte quale argumentum pro nostrâ Schola verissima doctrina sumatur.

Et sic discurrete. Secundum predictam Suarez, viri doctissimi, opinionem, Deus potest à voluntate auferre libertatem, eam ad alteram partem contradictionis determinando; quia facultas quam habet voluntas ad utrumlibet, est finita, & consequenter à divina virtutis efficacia superabilis: at similiter facultas, quam habet voluntas ad operandum fallibiliter, est finita: Ergo potest ab efficacia divina virtutis superari. Sicut ergo

A per hanc fieri potest, ut voluntas in alteram partem naturali necessitate flectatur; ita per eandem fieri poterit, ut in eandem partem, salvū libertates infallibiliter inclinetur.

Quod si contendant hoc fieri non posse, ob essentiale connexionem, qua est inter modum fallibiliter operandi, & liberè operandi, ex qua connexione oritur ut non possit Deus, illos libertates voluntatem inclinare ad infallibiliter operandum: dicatis statim, quod licet libera facultas agendi & non agendi, si finita, tamen est necessariò, & essentialiter annexa indifferentia iudicij, ut nequeat Deus indifferentiam objectivam & iudicij conservare, quia facultatem ad utrumlibet potentia libere conservet; siquidem facultas libere voluntatis ad agendum, nil aliud est, quam ipsissima potentia voluntatis, ut connoans objectum indifferentem propositum: Igitur, vel dicendum est, quod casum suum contra nos Suarez, ejusque sectatores non probent; vel si probant, quod efficaciam ex eodem principio nos colligamus, efficaciam præcedentem esse libertatis amicam, & conubernalem; quod jam satis à nobis manifestatum esse arbitramur. Hæc Pater Libelli, vir Caramuelis iudicio acutissimum.

Alterum quod idem Author demonstrat, à quo nimirus S. Thomas hunc modum conciliandi libertatem cum Dei præscientia, & divinorum decretorum causalitate, accepit, in Tractatu

*Disp. 6.
art. 2.
§. 2.*

ARTICULUS IV.

An peccata ita subsunt divina providentie,
ut etiam subjiciantur ejus causalitati?

§. I.

Premittitur quod apud omnes est certum.

E Xtra dubium est, peccata aliquo modo sub-
jici divinæ providentie: Primo quidem, quia Deus ordinat peccata, ut si saltem secundum se nihil conferant universi perfectioni, conferant, saltem ordine suo. Sic paucæ præcisè sumptu, nihil conferunt cantu, plurimum tamen ad ejus harmoniam & suavitatem conducunt, si debito modo disponantur, & certis quibusdam intervallis siant. Sic etiam umbra conferunt picturæ, & maculae pulchritudini faciei. Unde egregie Augustinus libro imperfecto de Genesi ad litteram, cap. 5. *Nos dicimus (inquit) Deum fecisse tenebras, quoniam speciem ipsam Deus fecit, non privatio-nes quæ ad nihilum pertinent: quas tamen ab eo ordinatus intelligimus, cum dicitur, Et divisit Deus inter lucem & tenebras Genes. 5.* Ne vel ipsa privationes non haberent ordinem suum, Deo cuncta regente atque administrante: sicut in cantando interpositiones silentiorum certis & moderatis intervallis, quavis vocum privationes sint, bene tamen ordinantur ab iis qui cantare sciunt, & suavitati universa canilena aliquid conferunt. Et umbra in picturis eminentiora quæque distinguunt: ac non specie, sed ordine placent. Nam & vitiorum non nostrorum non est autor Deus, sed tamen ordinator est, cum eo loco peccatores constituit, & ea perpetræ cogit quæ merentur. Ad hoc ruit quod oves ponuntur ad dexteram, hædi autem ad sinistram. Quadam ergo & facit Deus & ordinat, quadam vero tantum ordinat. Justos & facit & ordinat, peccatores autem, inquantum peccatores sunt, non